



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 129. Ambo capite damnati

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Re comperta Maria de Burgundia sum-Sæcul. XV.
me indignata, ferme in furorem ageba- A.C. 1477.
tur: cum vero de utriusque hujus Mi-
nistri probitate convicta, ac fidei, qua
Patri, ejusque Avo sua obsequia devove-
bant, probe conscia esset, supplex ad tri-
bunal ex propriis suis subditis composi-
tum accedit, & vitæ gratiam, quam
concedere suæ fuisset auctoritatis, de-
misse ab eis efflagitat, & tamen repul-
sam ferre compellitur.

§. CXXIX.

Ambo Capite damnati.

Ergo ambo ad locum, ubi ferale pegma
erectum erat, deducuntur, ubi pene *Commin.*
innumera hominum multitudo confluit; l. 5. c. 17.
accedit ipsa etiam Ducissa, sed incompto
capite, crinibusque sine lege errantibus
squallida, tota lacrimis disfluebat, atque
habitu ad neglectum composito vestita
comparebat. Nihilominus vix non ejus
eloquentia aversionem ac Regiminis odi-
um superasset; quorum enim animi ad
Ducissæ verba movebantur, jamjam in eo
erant, ut, adversus flecti nescios arma ca-
perent, quin etiam plures exclamare cœ-
perunt: *Venia, Venia detur*: Attamen
vicit furentium numerus atque potentia;
& lictores non parum conterriti utrum-
que capite truncant, in conspectu ipsius Du-
Hist. Eccles. Tom. XXIX, R r *cissæ*

Sæcul. XV. ciffæ, quæ ad palatium suum exsanguis,
A.C. 1477. ac mortuæ similibus deferebatur.

§. CXXX.

Gandavensium consilia de nuptiis Ducissæ cum Adolpho Geldricæ Duce.

Ducissa, cum linquentem animum suum revocasset, Gandavenses, quod auctoritatem suam utriusque hujus Viri adeo celebris supplicio roborassent, jam contentos fore sperabat. Ast spe sua se delusam brevi experta est. Quippe Ducissam viduam Burgundæ Novercam, æque ac Ravesteiniam urbe excedere compellunt, ipsius vero Dominæ suæ mores velut e specula observant, omnesque, qui ab ejus servitio erant, dimittunt, aliosque subrogant; cunctos denique, quos sibi addictos habebat, proscribunt, eorum domos spoliant, & illorum bona ærario addicunt. Post hæc quindecim millia peditum, ac nonnullas equitum copias cogunt, quibus Adolphum Geldricæ Ducem a Carolo Burgundiæ Duce Namurcensi olim arci inclusum præficiunt, eumque supremum eorum Præfectum salutant; ne vero quicquam malorum cumulo deesset, Ducissam compellere tentant, ut Adolphum, juvenem post homines natos turpissimum, ac omni flagitiorum